

L I M B U R G V M D U C A T V S.

nuncupant vulgo, efformant. Effodiuntur ibidem etiam ex occultis terræ visceribus varii generis lapides, instar Namurcensium, marmoris & iaspidis speciem præ se ferentes, candidis, nigris, fuscis, variisque maculis venuste conspersi, ex quibus mortaria, mensarum tabulæ, ad speculorum nitorem politæ: magnificarum ædium camini, columnæ, earum capitula, coronides, bases, scapi; Principum illustriumque virorum monumenta: aliaque ædificia, videndi sensum oblectantia, constructa videntur.

*Pagi Vpen & Herviam.*

Præter multos insuper pagos, domorum populique frequentia cultos, villas duas (oppida diceret) eleganter exstructas, Limburgense hoc territorium exhibet, *Vpen ac Herviam*; utrasque mercatoribus inhabitatas ditissimis, qui mercibus suis, potissimum vero panno & clavis, nundinas Francofurdianas, bis annuatim, maximo emolumento quæstusque uberrimo frequentant. Primo ab urbe lapide insigni ac pervetustum est Cisterciensium monasterium, Vallis Dei nuncupatum, à Duce Henrico secundo fundatum, cujus etiam ossa ibidem lapideo sarcophago continentur. Estque ibidem nobilium de Rosmel sepultura. Quin etiam in agro Limburgensi scaturiunt erumpuntque salientes aquæ, tam domesticis quam voluptariis usibus servientes. His autem omnibus infinitis parasangis præstat fons ille acidus Arduennæ silvæ, secundo à Limburgo lapide in pago *Spaa*, toti orbi nunc celebratissimo, erumpens, quo tam indigenæ, quam ex remotissimis mundi partibus exteri, recreandi & sanitatis recuperandæ, ac ab imminentibus morbis præcavendi studio, frequenti numero se conferunt. Etsi porro Limburgense hoc oppidum, angustioribus circumseptum limitibus, infrequentiores incolas habeat; si tamen ea, quæ urbes ut plurimum commendare solent, & clarissimorum hominum ex eo progenitorum seriem consideres, non infimæ dignitatis oppidum esse censebis; ut de ea Virgilianum illud non immerito dici queat, *Pauci numero, sed vivida virtus*. Neque adeo refert, quali sint urbes structura, situ, numero, atque frequentia civium, sed qua animorum inveniantur concordia, quo virtutum nitore, qua religione sint imbuti. Et quemadmodum fructuum dignitas arboris commendat præstantiam; ita urbes maxime illustrent viri, qui virtutibus, eruditione, & dignitate præstantes ex iis prodierunt. Quales hic sunt nati reverendus vir

*Fons Spaa.*

D. Hermannus Ravius, Abbas S. Iacobi, Nicolaus Billstein, Bellireditus, ordinis Præmonstratensium, ejusdem apud Leodios insulæ. D. Lambertus, Vallis Dei in Ducatu Limburgen-

*Viri celebres.*

si, ordinis Cisterciensis, Cœnobiarcha, vir admodum hospitalis, & bonus: Guilielmus Vilkinus, Gilbertus Limburgus, medicus, Guilielmus Gulpen, Nicolaus Westenradius, Canonicus, Archidiaconus & Cancellarius Leodiensis, eruditione & virtutibus ornatissimus Præful: & Ioannes Flemingus civis Antverpiensis, eruditissimus vir & poëta insignis.

*Falcoburgum*, Gallice *Fauquemont*, oppidum est mediocriter lautum, ac valide satis munitum, in agros & pagos aliquot circumjectos imperium obtinens, & Aquisgrani tribus majoribus, Trajecto vero ad Mosam duabus minoribus leucis abjunctum. Subegit hanc ditionem Brabantia Dux Ioannes, ejus nominis tertius, ademptam armis & vi Reinoldo Falcoburgensi, homini inquieto ac turbido, ac Trajecto finitimisque locis infesto; ideoque à Duce Brabantia in ordinem redacto, & in carcerem tandem compacto.

*Falcoburgum.*

*Dalemium* perexiguum alias oppidum, munitissimam habet arcem, & Aquisgrani tribus majoribus, Leodico duabus prægrandibus leucis disjungitur. Habet titulum Comitatus, & jurisdictionem in agros & pagos aliquot transmosanos. Imperio suo adjecit Brabantia Dux Henricus secundus.

*Dalemium.*

*Rhoda Ducis*, Gallice *Rode le Duc*, Belgice *Hertogen-rode*, concinnum est, etsi parvum oppidulum, & veteri arce conspicuum. Falcoburgo leucæ circiter spatio diffidet, estque quarta ex transmosanis Brabantia ditiunculis, quæ omnes quidem exercent supremam jurisdictionem, sed unde ad Cancellariam tamen conceditur provocatio.

*Rhoda Ducis.*

*Carpia* inter terram Iuliacensem & Coloniam sita, duabus Rheno leucis abest, estque amplius imprimis & oppidulo pene similis pagus, collegiata (ut vocant) Ecclesiâ, item mercatu & nundinis anniversariis celebris. Assidet pago arx, valide satis adversus hostiles insultus munita, & junctim constituunt peculiarem nec penitentiam utique ditionem, cui & suus olim peculiaris dynasta. at enimvero Dux Brabantia Ioannes, reputans quam utilis atque opportuna ditioni suæ futura esset hæc ditio, oblata forte occasione, à Gymnicis Dominis eam mercatus est, & cum reliquis transmosanis conjunxit: etsi peculiarem tamen sibi habeat præfectum, & valido semper præsidio communiatur.

*Carpia.*

Ordines Limburgensis Ducatus, & ditionum jam descriptarum tribus perpetuo constant membris; Antistitibus nempe, Nobilibus, sive Equitibus, & conventibus, sive foris juridicis.